

Saxum sacrum, ubi in primitiva Anglorum ecclesia Paulinum multa millia hominum baptifasse fama obtinet. Ad ipsum vero *Coquedæ* ostium *Warkworth*, castrum *Perciorum* non inelegans locum habet & littus tuetur, ubi miro opere facellum è rupe excavata sine trabibus & lignis efformatum. Hoc Rex Edwardus III Henrico *Percy* cum *Manerio de Rochbury* donavit. Prius Baronia erat Rogerii filii *Richardi* ex dono Henrici II Regis Angliæ, qui etiam *Clavering* in Efflexia illius filio dedit, unde jubente Rege Edwardo Primo, *Clavering* nomen sibi assumerunt, relicto veteri illo more desumendi nomina ex prænomine sive Christiano nomine patris, antea enim secundum paternum nomen Robertus * *Fitz-Roger*, Rogerus *Fitz-Iohn*, &c. nominabantur. Partem hæreditatis per *Finem* & conventionem adierunt *Nevilli*, qui postea Comites Westmorlandiæ, partem Eva filia nupta Th. *Vfford*, à cuius posteris ad *Fienos* Barones *Dacres* hæreditario devenit. A junioribus autem filiis Barones de *Evers*, *Everi* de *Axholme*, *Claveringi* de *Kalaly* in hoc Comitatu, & alii genus deducunt. *Morwic* etiam huic adjacet, quæ suos etiam Dominos jactet, quorum stirps mascula circa annum M C C L V I I I desit. Hæreditas per filias ad *Lumleios*, de *S. Mauro*, *Bulmeros*, & *Roscellos* transivit.

Littus deinde ALAVNO flumini se patefacit, qui necdum illo nomine viduatus, quo Ptolemaeo innotuit, *Alne* contracte dicitur, ad cujus ripam præter *Twifford*, id est, *Duplex Vadum*, ubi Synodus sub Egfrido rege celebrata fuit, & *Estington* habitatio *Collingwoodorum*, qui laude militari claruerunt, etiam *Alan-wick*, Saxonice *Ealnpic*, vulgo *Arwick* cernitur, victoria Anglorum nobilitatum oppidum, qua majorum virtus Guilielmum Scotorum regem Henrico Secundo captivum tradidit; & castro firmatum egregio. Quod cum Malcolmus Tertius Rex Scotorum obsidione eo adegisset, ut jam dederetur, occisus erat à milite qui castri claves lanceæ cuspidi appensas traditurum se simulavit, lancea in eum adaecta. Simulque Edw. filius patris mortem ulturus, dum incautius in hostem irruit, accepto vulnere brevi periit. Baronia hæc quondam fuit *Vesciorum*, Eustachio enim filio Ioannis, patri Guilielmi *Vesci* Henricus Secundus dedit tenendum per servitium XII Militum. Ioannes autem *Vesci* è bello sacro rediens Carmelitas secum primus in Angliam adduxit, illisque hic in *Holme* solitudine non dissimili Carmelo monti in Syria Conventum extruxit. *Vesciorum* ultimus Guilielmus, cum Antoninum *Bec* Episcopum Dunelmensem hæredem fiduciarium instituisset, ut hoc castrum cum latifundiis filio notho, quem solum reliquerat, traderet; hæreditatem dolo malo intervertit Episcopus, & Guilielmo *Percio* præfenti pecunia dividit, ex quo ad *Percios* jam inde spectavit.

In diversos hinc angulos littus se cuneans tendit per *Dunstaburge* patrimonii Lancastrensis castrum, quod *Bebbam* aliqui falso suspicati sunt, quæ superius sedet, & pro *Bebbanburg* nunc *Bamborow* vocatur. Beda noster, ubi hoc castrum à Penda Mercio obsessum, & incensum fuisse memorat, *Bebbam* Reginam sic cognominasse scribit. Florilegus vero, Idam primum Nordanhumborum regem construxisse refert, quod prius ligneis palis, postea muro firmavit. Sed hujus descriptionem ex Rogero Hovedeno habe. *Bebba*, inquit, est civitas munitissima, non admodum magna, sed quæ duorum, vel trium agrorum spatium complectitur, habens unum introitum cavatum, & gradibus miro modo exaltatum, inque summitate montis Ecclesiam perpulchre factam, & in occidente in summitate ipsius fons est miro ornatus opere, dulcis ad potandum, & purissimus ad videndum. Nostra vero ætate castrum potius quam civitas habetur, sed adeo amplum, ut civitatis sit æmulum. Nec aliud quam castrum habebatur, cum Rex Guilielmus *Rufus* excitata è regione turre *Male-vicina* dicta, *Male-vicina* *Turris*. *Moubratum* rebellantem & in illo delitescentem continenti labore oppugnaret, qui furtiva fuga se tandem subduxit. Decoris maximam partem longo post tempore, intestino bello amisit, cum *Bressius* Normannus vir militaris, qui *Lancastrensi* familiæ studuit, inclementius in illud sæviret. Iam inde vero cum tempore, & ventis conflictatum est, qui incredibilem vim sabuli ex Oceano in ejus munitiones per fenestras patentes converterunt. Huic adjunctum est *Emildon*, quæ olim Baronia Ioannis *Le Viscont*, sed *Rameta* hæres familiæ possessiones divididit *Simoni* de *Monteforti* Comiti *Leicestriæ*. In hac natus est Ioannes *Duns*, *Scotus* dictus, quia è *Scotico* genere, qui in *Mertonensi* Collegio *Oxonæ* educatus, in *Dialectica*, & spinosa illa *Theologia* ad miraculum doctissimus, dubitabundus tamen sacrarum rerum fidem caligine circumfudit & tam profunda & admiranda subtilitate, licet obscuro incultoque dicendi genere plurima scripsit, ut *Doctoris* *Subtilis* nomen promeruerit, & novam *Scotistarum* sectam nomine suo condiderit. Misere autem periit apoplexia correptus & nimis festinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita, sero morbi impetum natura discerneret, frustra ad petendam opem miserabili mugitu, pulsatoque diu sepulchri lapide, eliso tandem capite animam ediderit. Vnde in illum *Italus* quidam:

Quæcunque humani fuerant, jurisque sacrati,
In dubium veniunt cuncta vocante Scoto.
Quid? quod in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili ludificante strophæ.
Quum non ante virum vita jugularit adempta,
Quam virus tumulo conditus ille foret.

Quod vero hic in Anglia natus fuerit, ex manuscriptis ejus operibus in Bibliotheca *Mertonensi* *Oxonæ*, eorumque fide dico, quæ sic terminantur, *Explicit Lectura Subtilis in Vniversitate Parisiensi Doctoris Ioannis Duns, nati in quadam villula parochiæ de Emildon, vocata Dunston, in Comitatu Northumbriæ, pertinente domui Scholarium de Mertonhall in Oxonia.*

Hoc littore deinceps nihil memoratu dignum occurrit præter *Insulam Sacram*, de qua suo loco, donec ad *Tweda* ostium ventum sit, qui Angliam à *Scotia* longo spatio discludit, limesque *Orientalis* dicitur, unde *Nechamus* noster,

Anglos

Warkworth.

Rot. Parl. 5. Edw. 3.

Clavering.

* Filius.

Morwick.

Alanus flu. Alne.

Alnewick.

1174.

1097.

Testa. Nevilli. Carmelita.

Historia Dunelmensis.

Dunstaburg. Bebbam.

Bamborow.

Male-vicina Turris.

Viscontes.

Ioannes Scotus Doctor Subtilis floruit 1300. Paulus Iovius in Elogiis Doctorum.

Tweda. fl.